

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum**

**Fecht, Johann**

**Francofurti et Spirae, 1684**

**VD17 VD17 3:315948Z**

LIII.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

exemplo subscriptionu m; quibus concordiae formulam, publicè notam, Theologi nostri comprobant, ad vos perferendum & principi vestro declarandum tradidi, qui etiam se petita in effectum deducturos esse, sanctè promiserunt. Maximopere igitur R. D. V. oro & per Christum obtestor, ut lectis & cognitis omnibus, nos pro fratribus & conforibus agnoscat, & operam detis, quò doctrina & fors Ecclesiarum nostrarum cum illustriss. Principi vestro tum omnibus aliis veræ Ecclesiæ civibus & membris notæ fiant, & mihi quoque maturè innotescat, quo die & mense scripta mea cum hac epistola acceperitis, & quem apud vestrates eventum hoc nostrum institutum habuerit. Pro his officiis vestris & Dominorum meorum & meam, quæ debetur, gratitudinem sanctè vobis promitto, quam & DEUS copiosissima benedictione vobis vestrisq; ecclesiis accumulabit. In hoc bene valeant Reverendæ Dignitates vestræ per Jesum Christum, DOMINUM & Salvatorem nostrum, Amen. Data Augustæ, 10. Septembris, An. 1782.

R. D. V.

*studiofissimè colens*

Jeremias Homberger. Fritislarientis,  
D. Provincialium Styriæ, qui Augustanæ  
Confess. sunt, Antistes.

*Post scripta.*

Reverendi & clarissimi viri, in orationis meæ summa quorundam Scriptorum mentio fit, quæ vobis mittere nequivimus. Sunt enim bene longa scripta, quæ hic tantum ostendere & perlegenda tradere voluimus, sicut & Augustanæ civitatis Theologis & vestris Legatis ea ostendimus. Ut autem toties descripta curaremus, non fuit possibile. Missa tamen sunt Francofurtum, ut typis evulganda committantur. Ubi edita fuerint, haud dubiè etiam in vestras manus pervenient. Hoc vos ignorare nolui, ne forte admiraremini, quòd nominata scripta non mitterentur. Iterum valete.

*Inscriptio.*

*Reverendis, nobilibus, clarissimis & doctissimis viris ac Dominis, D. Doctoribus & Magistris ad Theologicam Facultatem & Ecclesiasticum Senatam ac Consistorium sub illustrissimo Ducatu & Electoratu Palatino pertinentibus. Dominis & patronis meis demissa observantia colendis.*

LIII.

*Salutem in Servatore Christo, Reverende & clarissime*

*D. Doctor, Domine & frater plurimùm colende.*

**F**ateor equidem, destitui me idonea excusatione, quòd ad aliquot tuas hactenus non respondi, maximè cum in illis res meæ meorumque agantur.  
Dicam.

Dicam tamen, quid me impederit: vix multis epistolis, à fratribus meis impetravi, ut fratri Petro, qui toties fidem datam fessellit, crederent, aut ad futuros se ei promitterent, sed crebris tandem petitionibus, & sponsonibus meis pro ipso adducti censuerunt, domum revocandum esse, ut de omni vitæ deinceps instituendæ ratione coràm ex ipso cognoscant. Scribo igitur ad ipsum, ut rectà domum se conferat, petito tamen prius Academico testimonio, liquidem id meretur. Quod ad debita ipsius attinet, misissem per hos adolescentes, quantum debuit, priusquam ad Siccingium mitteretur: sed cum rationes illas in patriam miserim, & exactæ summæ oblitus sim, peto, mihi eam denuò significari, in solvendo non erit mora. Quantum verò interea, dum ad vos reversus est, insunxit, pro eo fratres rescribunt, se proximis nundinis Nataliis nostris esse satisfacturos, egoque pro ea etiam summa fidem meam interpono. Te igitur etiam atque etiam rogo, author ei sis, ut eum prius in patriam discedat. Viatici loco duos ei florenos mitto, quos à te accipiat, cum iter est ingressurus. Utinam rectè collocaret, quæ ipsias causa impendimus, & quamdiu spes erit, libenter impendemus.

Adolescentes isti duo, qui has tibi reddent, Stipendiarii sunt Ulmenium, quorum alter in mea familia triennium amplius vixit, & alter etiam ad me migrabit, nisi pestilis lues, quod metuendum est, Scholam nostram dissipet. Excurrunt ad vos per has ferias, mutandi aëris gratiâ, permissu suorum Dominorum, & fortasse, si post ferias melior nobis aura non aspiraverit, apud vos hyemabunt. Eos quoque, quod sine tua molestia fiat, ut juves, ipsisque consilio ad sis, vehementer peto. Adjunxi eis adolescentem Carniolanum, propinquum uxoris meæ, quem ut similiter commendatum habeas, oro. Habes satis petacem epistolam, & tua humanitate nimium propè abutentem.

Res nostræ quo loco sint, aut futuræ esse videantur, vix possum scribere. Gremius responsionem nunc adornat ad accusationem Sturmii, quo in labore non nihil ei adfui, in colligendis iis, quæ in Antipappis præcipuè videbantur notanda. Sturmii Northemii suaviter, ut ajunt, delitiatur, & Epicureus totus est. Decanus noster Thomanus & Tuppius totum Collegium eunt perditum, eosque Beutherus & Bitnerus gnaviter adjuvant, reliqui animi satis non habent ad resistendum; itaque omnia fluctuant, & ruinam minantur. In Magistratu, etiam iis, qui nostrarum videri volunt partium, præsidii parum, vel etiam nihil: gravissimeque ferunt, sive otium suum, sive negotia, rebus nostris & interpellationibus turbari. Itaque <sup>deò meo</sup> auxilium expectandum est. Heri vesperi paulò ante nonam, quod tristissimus scribo, eum amisimus, in quo solo verum & ardentem pietatis zelum agnoscere potuimus, Consulem Molshemium, placidissimè defunctum. Reliqui, si dicendum, quod res est, pertæsi tam diuturnorum certaminum, & quia frustra se  
niti

niti arbitrantur, paulatim refrigescunt, & tanquam adverso flumine lembum subigentes, brachia remittunt. In his rebus quid animi mihi sit, facile intelligis: ideoque me, nostramque Ecclesiam & Scholam precibus tuis commendo. Pro disputatione tua mihi transmissa, reverenter gratias tibi ago, & judico te laborem Ecclesiae utilem & necessarium praestitisse, teque hortor, ut pergas prodesse Ecclesiae. Apologiam Concordiae avidissime expecto. Bene in DOMINO vale: & tum reliquis Dn. Collegis tuis, tum fratri etiam Ulrico, salut. ex me reverenter dicito. D. Parienti & Schoppero gratulor novos honores. Perscript. Argentor. 13. Septembr. 1582.

*Tuus in DOMINO frater*

Joh. Pappus, D.

## LIV.

*Salutem in Salvatore Christo, Reverende & clarissime Domine Doctor, Domine, amice & frater honorande.*

Promotionem candidatorum vestrorum tanta fuisse solennitate celebratam, libenter intellexi, Deumque precor, ut incrementa vestris laboribus subinde addat. Nos ad operas Scholasticas nondum rediimus, propter luen *in id quod*, speramus tamen, Scholae ad Cal. Januarii restitui posse. Ego DOMINO volente sub initium Decembris quaedam extra ordinem proponam, periculum facturus, quid de Schola sperare possimus. De Heshusio quae scripsisti, magno me affecerunt mœrore, atque utinam conventus Erfordianus huic novo malo medeatur. Scripsit eadem de re ad me quaedam Doct. Gerlachius; sed quia pluribus communicata, facile ad Adversarios etiam dimanare possent, ne Pastoribus quidem adhuc ista significanda putavi; hortatus tamen sum eos, quia in comitiis de isthoc negotio actum nihil sit, ideoque aliquid videatur subesse *ὄρασις*, ut tantò ardentius DOMINUM invoent.

Miscellanea Zanchi doluimus quidem edita esse, sed tamen non invita occasionem dari nobis animadvertimus, & Ecclesiae nostrae admonendae, & gratitudinis nostrae erga Dn. Parentem declarandae. Itaque Dn. Pastores, qui antehac historiam vitae Dn. Parentis edi in isthoc tempore noluerunt, ne novas lites ferere videremur, jam non modò ad eam perficiendam me adhortati sunt, sed Confessionem quoque de Praedestinatione & Cena DOMINI, una cum refutatione praecipuorum Zanchi argumentorum Historiae addi à me vo-

O o o o

lunt.